


Romani unquam gerant? Sed ut istuc illi in mentem venit,
 Quasi potestas plebeia extollat caput suum,
 Patricius ardenter exclamans ensem adripit,
 Licet cum plaga civitatis decidat caput.
 AP. Aliter reapse vir plebeius cogitat.
 ME. Sic, ut tu, cogitat, at istuc tu non excusabere.
 Horrendo hercle viso contremisit pectus meum.
 Quom venti strident, aurigam perstringit horror maximus;
 Iam navis ingemit, nutare malus incipit;
 Auriga navis animo capto clamat navitis,
 Iunctis ut viribus laborent in periculo,
 Sed illi verba neglegentes alii locum
 Alterius aerulant, sicut puelli, dum navigium
 Undis vincentibus adlissum tandem rupibus
 Minutatim mari submergitur; omnes suom
 Desperantes locum quisque in profundo inveniunt.
 Iam saepe non ita multum afuit, quin civitas
 Romana huiusce modi faceret sibi naufragium.
 AP. O quam eloquens Metellus noster consul est!
 ME. At quam surdi sunt multi homines, qui istaec audiunt!
 Edepol ego coactus sum tecum contendere.
 AP. Nam hercle de istac re inter nos iam convenit.
 Novisti, spero, tribunum plebis Licinium?
 ME. Virum istum magnae spei edepol amo maxume.
 AP. Tibi pol dico, nil est, si homo nihili novos
 Sese videt aliquid esse extempulo;
 Honore inflatus obliviscitur, per quem sit factus id,
 Quod est; et posthac solam ducit rationem suam.
 ME. At et tu vitare exprobationem nitere,
 Quod illum non re publicae nutriveris homunculum.
 Quare tantopere tu in illum concitatus es?
 AP. Quom hodie tribunus contra me egit Publius,
 Ignovi, quod res pertinebat eius ad patrem.
 Tunc confestim exputavi istuc mecum consilium:
 Si in comitiis ad populum Publius pro patre dixerit,
 Oportebit Licinium contra collegam dicere;
 Ita, Metelle, habebis tu solus sententiam
 Ac nemo non scit, quam crebro Romae sermo disertus vicerit.
 At quem mirabar, quom Licinius, vir insolens,
 Mihi, suo fautori, denegare auderet auxilium
 Quomque animi ingrati atrocitatem reprehenderem,
 Respondit mi superbus et proterve; se suam
 Felicitatem civis Romani malo non solvere.
 Tunc obsecrabam, comminabar, inanis labor.

(Ad proximum numerum)

ALMA ROMA

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE

TENET

Pauca exemplaria reperta sunt

IOANNIS B. FRANCESIA actionis dramaticae, versis senariis conscriptae,
cui titulus:

EUPLIUS

Venit libell. italic. 2; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia;
libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur JOSEPHI FORNARI
Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud
ephebea facile agendis:

FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 600 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1200, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXV

Romae, mense Februario MCMXXXVIII

Fasc. II



ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano.

PIO PP. XI

VALETUDINI DIVINITUS RESTITUTO
SEPTIMUM SUPRA DECIMUM PONTIFICATUS ANNUM
FELICITER AUSPICANTI

*Largiter donat Deus. Ecce Patris
fulcit aegroti reficitque vires,
totius mundi capiens benignus
vota precesque.*

*Gratiam fili referunt: ab oris
dissitis cantu resonante Romanam
sponte confluxi sacra Templa Petri
ingrediuntur.*

*Aera pulsantur: variis fenestrae
ac tholi lycnis rutilant; revincta
flosculis frontem celebrat iuventus
festa per Urbem.*

*Gestiunt ipsi patrii penates,
Desii circum monimenta plexi,
inlyto CIVI modo sculpta summis
arte magistris.*

*At PIUS, late crepitante plausu,
Qui salutatur, meritoque, DULCIS
CHRISTUS IN TERRA, bona multa patrans,
plura patrabit.*

*Illius fulgent memoranda. Dicit
sub Crucis Signum dociles phalanges,
corda quo virtus renovet Fidesque,
labe repulsa.*

*Doctus interpres veteris papyri
litteras ornat vigilans et artes;
alma selectis statuit lycea
largus ephebis.*

*Qua puer fulsit iuvenisque in urbe
provehit claram studiis palaestram,
Caroli nomen tacite aemulatus
Ambrosique.*

*Impiger semen Fidei remotis
finibus spargit. Malesuadus illinc
error et bacchans feritas nefasque
turpe fugatur.*

*Mira quae gessit sapiens Polonis
latius complet PIUS. En beantis
Hostiae cultum fovet, urget, auget,
laude perenni.*

*Fallor, an noster Sacra Vaticani
Rex init, Natae, decoranda et Aurea
mox Rosâ Coniux, viridisque Princeps
dulcis et Uxor?*

*Itali plaudunt, hilares et explent
maximam Petri plateam Quirites,
laetus ac laetis bene iam precatur
Praeses ab arce.*

*Fausta quin colles resonantque turre
flavus et Thybris. Populi superbam
afflunt Romam, nova cui BENITUS
lumina confert.*

*Hunc stupent gentes! Italisme tantus
Rector e Caelis datus? Auspice Illo,
Pontifex et Rex sibi dant vicissim
oscula pacis.*

*Quot viri dudum cupiere vinclum
dulce firmari; tamen et negatum!
Quod probant plausu superis ab astris
laetitiaque.*

*I, furor pugnax: procul ite, sectae;
ite fallaces Erebi ministrae:
nil vices Christi metuant Gerenti
foedere iuncti.*

*Hinc PIUS tandem reserare postes
mandat: heu! clausit rabies nefasta,
quas amor pandit. Celebratus exit
Praesul ad Urbem.*

*Infremens hostis per ovile Iesu
miscet Hispanos populosque cunctos
praeliis, morum Fideique fulcrum
verttere nisus.*

*Pastor at celso Solio, tonante
voce, ceu Primus Leo saevientem
Attilam pellens, gemit, horret, orat,
saepit ovile.*

*Quidne conatus renovare caecos,
dux nequam, Stalin? Veneranda Sedes
diruet nunquam, neque si tremendus
ambiat hostis.*

*Quid necas Mystas truculentus atque
virgines sacras, proceres, popellum?
Sit satis probris. Resipisce, saeve
furcifer Orci!...*

*Sed gerens imo PIUS usque corde
vulnus, absentes queritur volutos
fraude: « Palantum, bone SARTE, quaeso,
dirige gressus »*

*inquit. Aeternum Decimus Piorum
intuens Nautam, precibusque pollens,
corporis vires animique Fratri
roborat, auget.*

*Vivat o! longo fruitorus aevo
RATTIUS, donec mala quaque vincens
uberem fructum vigilis laboris
sumat. Inanes*

*mente qui captat miserandus umbras
semitae falsae valedicat; aeque,
omnibus divo radio micante,
tot resipiscant*

*mite liquerunt quot ovile Christi.
Caelites, magnum properetis horam,
qua vagos Pastor PIUS unus uno
in grege spectet.*

*Maximo plausus iterans triumpho
mundus inflectet poplices ACHILLI.
Ture fumabit redimita lauro
Illius ara.*

MICHAËL FUSCUS
Doctor latinis litteris tradendis
in Pont. Sem. Beneventano.

VENCESLAUS ALOSIUS SVOBODA¹

POËTA LATINUS

Poësis Latina recentior, cum saeculis XVI
et XVII laetissimos flores edidisset, exeunte
saeculo XVIII et ineunte XIX paulatim deflo-
rescebat. Hoc autem ipso tempore Bo-
hemia tulit poëtam, qui vates aevi praeteriti
tam ingenio quam sollertia cum laude ae-
mularetur. Nomen ei est Venceslaus Alo-
sius Svoboda.

Exeunte anno 1791 patre Bohemo, braxa-
tore² sat locuplete, natus est in vico Na-
varov prope oppidum Boleslaviam, unde
epitheton Navarovensis invenit, quo ab
aliis scriptoribus et poëtis cognominibus di-
stingueretur. Cum primordia linguae Ger-
manicae didicisset, sine cuius scientiâ ne-
mini Bohemo tunc aditus patebat in scholas
superiores, patre volente liberaliter institu-
tus est. Spatio studiorum in gymnasiis
Boleslaviensi et Veteropragensi decurso,
universitati Pragensi nomen dedit, ubi iu-
risprudentiae, philologiae, aestheticae ope-
ram navaret. Examine probatus praecepto-
ris provinciam amplexus est. Paucis annis
extra Pragam in iuventute erudiendâ exac-
tis, professoris munus in gymnasio Pra-
gae Minoris nactus est, quod usque ad
mortem sustinuit. De scholâ, litteris arti-
busque optime meritus ob eamque causam
« Civis Pragensis » titulo atque honore in-
signitus, anno 1849 naturae debitum redi-
dit.

Uxorem duxit ille quidem, nec tamen
ullos liberos procreavit. Maritae duobus
fere annis superfuit. Qui eo magistro usi-
erant, narrabant eum in munere suo
obeundo dextere se gessisse et discipulos,

¹ Ut orographiâ Latinâ in nostris scholis usi-
tatâ. — F. P.

² Braxator — Zylhepsa — Coctor cerévisiae.

qui quidem Bohemi nati essent, ad pa-
trium sermonem colendum identidem inci-
tassee, in neglegentiores vero alumnos cum
severitate esse grassatum. Fidei catholi-
cae, quâ puer initiatus erat, fideliter addi-
ctus mansit. Libenter hymnos sacros com-
ponebat aut ex alterâ in alteram linguam
convertiebat, et principibus ecclesiasticis
adeo familiariter utebatur, ut iis singula
carmina aut carminum volumina dedica-
ret. Quod ad eius de rebus publicis sen-
tentiam attinet, iure cum Horatio poëtâ
comparari potest. Adulescens odio in ty-
rannos flagrabat; postquam autem iuvenilis
iste ardor deferuit, in eo, qui tum erat,
rerum statu acquievit et principem Au-
striacum (Bohemia enim eo tempore pars
Austriae erat) eiusque domum versibus ce-
lebrare nequaquam recusavit. Immo, cum
anno 1848 Bohemi et Germani Pragenses
rebellionem molirentur contra regimen Vin-
dobonense, ut liberis civibus digna iura
sibi vindicarent, tantum aberat, ut popu-
laribus animum adderet, ut mentes sedi-
tiosas mitigare et coercere mallet. Haud
infacete dixeris eum cognomen suum de-
generasse ac de honestasse: « svoboda »
enim Bohemis significat « libertatem ».

Iam iuvenis insignis erat Svoboda paene
incredibili animi agilitate. Prompte loque-
batur et scribebat cum oratione solutâ tum
numeris adstrictâ Bohemice, Germanice,
Latine. Etiam Galicae et Italicae linguae
eum non mediocriter gnarum fuisse inde
conicere licet, quod textûs ludicrorum dra-
matum musicorum scenis domesticis adap-
tandorum ex his linguis Bohemice et Ger-
manice reddebat. Nec minorem admiratio-
nem movebat facultate versûs ex tempore
seu Bohemice seu Germanice seu Latine

fundendi. In deliciis ei erat poëmata Bohemica Germanice, Germanica Bohemice et Latine, Latina Bohemice et Germanice imitari; praeter alia opera hoc spectantia debentur ei Senecae tragoeiae Germanice redditae et Vindobonae tribus voluminibus vulgatae. Item libenter unum idemque argumentum versibus Bohemicis et Germanicis et Latinis contexebat. Adde, quod idem commentationes philologicas et historicas exarabat; adde, quod, necessitate urgente, declamatoris in contionibus, in scenis histrionis partes suscipere non renuebat; adde, quod multis societatibus adscitus earum sessiones frequentabat neque amicorum circulos et convivia morose fugiebat: animo fingere poteris indefessam agilitatem hominis — ut veteres aiebant — « omnium horarum ».

Atqui haec ipsa animi agilis ansam dabant opprobriis. Erant, qui poëtae vitio verterent, quod Bohemus natus linguas Germanicam et Latinam interdum sermoni patrio praeferret. Maiore iure ei obiciebatur, quod felicem indolem variis iisque levioribus studiis tereret neque grandius opus aggrederetur, quo sibi famae immortalitatem pararet. Nec minus arguebatur eius festinatio, quâ ab alio negotio ad aliud properans multis opusculis extremam manum non imponeret, immo multa imperfecta relinqueret. Sed vagum Svobodae ingenium intra angustos fines coerceri non potuit. Proinde veniam demus eius inconstantiae et levitati atque contenti simus donis, quae nobis hereditate tradidit! Etenim non pauca sunt nec spernenda.

Quam familiarem sibi reddiderit linguam Latinam, inde colligere possumus, quod suo tempore optimis philologis Austriacis adnumerabatur. Poësis eius Bohemica nunc quidem nobis sordet, quippe quae rudior et asperior esse videatur. Nec mirum: lingua nostra vernacula tunc nondum sat exculta erat sensibus poëticis concipiendis et efferendis, ipse autem non satis tem-

poris navabat versibus poliendis. Quae vero Germanice et Latine scripsit, ea plerumque etiam nunc probantur iudicibus vel elegantioribus.

Iam vero haec praefati nunc de solis versibus Latinis Svobodae disseremus. Quos pangebat ille dupli modo: aut metris antiquis aut more novicio, id est rhythmis accentus grammatici ratione habitâ formatis et simili exitu distinctis. Nec sat habebat proprios sensûs Latinis carminibus induere, verum etiam poëmata Germanica et Graeca scite Latine reddebat. Duo maiora opera huius generis nobis praesto sunt. Alterum inscribitur: *Poëseos Latinae specimen* (Pragae 1832, pag. 292), alterum: *Selecta Frederici Schiller carmina rhythmis Latinis similiter desinentibus reddidit V. A. Svoboda* (Pragae 1845, pag. 130). Praeterea poëmation panxit Bohemice, Germanice, Latine de sancto Venceslao eiusque famulo Podivín, quod temporum iniuriâ omnino deperditum est, ut vix ullum exemplar supersit. Suo autem tempore textus Latinus in Angliam penetravit ibique ansam dedit Britannicae cantiunculae condendae, quae adhuc die Christi natali passim cantatur. Goethii Iphigeniam in Tauris Latino trimetro tragicò prolatam sese in lucem editurum promisit ille quidem, nec fidem praestit. Utrum consilium suum postea abiecerit, an opus imperfectum reliquerit, non licet explorare: nullum utique vestigium eius exstat. Multa carmina Latina ad varias occasiones conficta periisse neque omnino typis mandata fuisse ipse in « Specimibus » testatur. Quod verisimile videtur: nempe aliunde edocemur eum nullam praetermissee solemnitatem, quin aliquid carminis conficeret.

Duobus illis libris supra commemoratis longas praefationes praemisit, ubi cum studia classica omnino tum stili Latini exercitia prono orationis flumine, immo passim nimiâ fortasse verborum ac phrasium exuberantia contra eorum osores acriter de-

fendit. At in praefatione alterius operis sunt, quae nobis corrigenda videantur. Pag. lvi de perversâ voces Latinas pronuntiandi ratione ab aequalibus usitatâ disputans falso damnat morem in vocabulis polysyllabis syllabam antepaenultimam — nisi paenultima producatur — cum accentu preferendi. Pag. xlvi narrat Meisterlein quandam Schillerum versibus antiquis Latine interpretatum esse. Quovis pignore contenderim Meisterlein lapsu calami aut memoriae positum esse pro *Feuerlein*.³ Ad dicendi genus quod attinet, displicant formae aut locutiones: iniuriam alicui *arguere* (pro *obicere*); non esse me primum, talia qui ausus *fuerit* (pro *fuerim*); sperbam fore, ut *addiscant* (normas, quae sunt de consecutione temporum, omnino neglegentius tractat Svoboda, quod semel me notasse sat sit), nequientes; nulli subest dubio, memoriâ orationem reddere *potente*; permisit, ut hoc opusculum *illi* (pro *sibi*) voverem; *clarere* (pro *clarum esse*).

Poëseos Latinae specimen exhibent plerumque versûs antiquo more formatos: hexametros, disticha elegiaca, strophas Horatianas, numeros Anacreonteos, immo Senecam imitatus anapaesticum metrum semel in usum suum convertit poëta. Operi praefixa est ode ad episcopum Hurdalek, cui auctor librum dicavit. Cetera carmina materiam ex libris sacris trahunt (Mundi creatio,⁴ Israelitarum exitus ex Aegypto, Christus recens natus, Christus resurgens), aut domum principis, viros de re ecclesiasticâ aut scholasticâ bene meritos, amicos poëtae ipsius celebrant, aut ad solemnia festa varii generis composita sunt (notissimum est carmen in pacem Europæ post cladem Napoleonis an. 1813 factam); accedunt fabulae et epigrammata; duobus poë-

³ Cfr. SCHILLERI *lyrica omnia Latinis modis aptare tentavit Gustav Feuerlein*. — Stutgardiae 1831.

⁴ Hoc in carmine poëta dormitans per errorem primo creationis die de sole loquitur, quem tamen quarto demum die procreatum esse postea ipse narrat.

matis Christophorus Columbus materiam suppeditavit. In carminibus lyricis ad Horatii imitationem se componit poëta, a quo et singulas dictiones et semiversûs aut integratos versûs haud infrequester mutuantur. In versibus epicis Vergili et Ovidi potissimum vestigia manifesta sunt.

Maiorem autem partem voluminis obtinent carmina Germanica et Graeca veste Latinâ ornata. Ex Germanis poëtis hic suum locum habent: Klopstock, Denis (de iuventute patriâ perversâ institutione degenerante), Meinert, Collin aliique. E Graecis litteris insunt epigrammata, gnomicorum sententiae, Callini, Tyrtaei, Mimnermi, Solonis elegiae, Theocriti carmen, Anacreontea, hymni Homerici, fragmenta Iliadis et Odysseae velut: Hectoris ab Andromachâ discessus, Achillis scutum, Ulyxes in terrâ Cyclopum, alia. Sub finem voluminis subiecti sunt hymni ecclesiastici homoeoteleutis versibus ab ipso auctore concinnati.

Graecae linguae non admodum peritus erat Svoboda; scientia huius linguae tunc omnino exigua erat apud philologos Austriacos. Quae vocabula Graeca occasione oblatâ affert, scatent mendis orthographicis et in Graecâ solutione aenigmatis Graeci in prosodiam peccatum est (in gen. πῦρος). Etiam sensum Graecorum versuum haud bene intellexit interpres. In notissimo Aeschylī epigrammate sepulcrali πυροφόροι Γέλας vertit pag. 137 *ignivomae Gelae*; quippe confudit invicem adiectiva πυροφόρος (ignifer) et πυροφόρος (tritici ferax). Pag. 132 legimus *Aeriae quercū... tegmina vasorum*, cum Graecum exemplar κλῶνες κεράμων στεγανώτεροι sensum exhibeat *rami melius tegentes quam imbrices*. Sed de his hactenus. Nostrum enim est tantum Svobodae Latinitatem perscrutari.

Altero opere — ut ipsa inscriptio praeceps — continentur Schilleri carmina Latinis versibus homoeoteleutis expressa. Sunt autem triginta, in iis longiora: Fides

vadi servata (*die Bürgschaft*), Sacra Eleusinia (*das Eleusinische Fest*), Carmen de campanâ (*das Lied von der Glocke*), Draco pugnâ devictus (*der Kampf mit dem Drachen*), Iuvenis mari se immergens (*der Taucher*), Polycratis annulus (*der Ring des Polykrates*), Grues Ibyci ultores (*die Kraniche des Ibykos*), Puer in officinam ferrariam missus (*der Gang nach dem Eisenhammer*), Hero et Leander, Cassandra, Hymnus ad laetitiam (*an die Freude*), Comes de Habsburg. Syllogae praemissus est cyclus carminum trilinguis (Bohemicus, Germanicus, Latinus) adumbrans fata archiepiscopi Pyrker de Felsö-eör, cui honoris causâ liber est inscriptus. Corollarii locum tenet carmen *Litterae Constantinopolis expugnatâ instauratae* 1543, quod exaratum est Latinis strophis Alcaicis et Germanicis versibus homoeoteleutis.⁵

Quantâ facilitate et celeritate utrumque volumen auctor conflaverit, ipse fatetur. In praefatione libri prioris pag. xxi legimus: «Plurima, et quae interpres reddidi aliena, et quae meo profecta sunt ex animo, nihil praemeditatus (vix dispositione ante factâ) tironibus dictavi coram, cuius quidem rei septendecim annorum, quos munere iam perfungor didascalico, testes mihi sunt discipuli». Et in praefatione libri posterioris pag. XLVIII: «Nocte quâdam aestivâ gravi caeli fragore subito exercefacto iterum obdormire mihi non contigit: atque varia mecum volutanti tandem in mentem venit vatis nostri carmen, quod hic «*Fides vadi servata*» (*die Bürgschaft*) inscribitur. Lectulo insomnis decumbens mecum cogitare coepi, quatenus fas sit hos poëtae Germanici modulos istis reddere rhythmis Latinis, atque ita, quos hic habetis, rhythmhos composui postque interdiu, dum per otium licebat, chartis adscripti».

⁵ In ulteriore parte commentationis nudis numeris significabo paginas Speciminum; Schilleriani operis paginas notabo litteris Sch. numero praefixis.

Ad hanc in versibus pangendis facilitatem et celeritatem poëta his adiutus est licentiis crebrius sumptis:

1º o finale corripit non solum in talibus verbis, qualia sunt: *adfero, esto, sacrabo*, sed etiam in adverbii *omnino, profecto, vero* aliisque, quin etiam in abl. gerundii *deflendo*.

2º Non fastidit positionem duriorem: *luminâ spargit, cruarè stillans, negarè sciunt, nocivâ struit*.

3º Frequentius quam antiqui adhibet enclitica *ce et ne*, ita ut etiam formas admittat *hicce, hocce, hincce, quidne, curne* similesque.

4º In uno eodemque enuntiato aut in duobus enuntiatis parallelis modo usurpat coniunctivum praesentis, modo imperfecti, ut commode metro satisfaciat: (145) turpe foret, si decumbat, (148) corpore sit alter Cyclops, Tithono si venustior esset, (158) cur pererrem montes? Cur arbori inside rem ciboque vivam agresti? — Regulas de consecutione temporum haud raro neglegi iam supra docui. Addo exemplum: (225) insere nectar, ne languesceret.

(*Ad proximum numerum*).

FR. PALATA, Moravus.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

e) Ablativus gerundii cum praepositione, si sequatur accusativus, mutatur; sine praepositione, item plerumque fere semper mutatur in participium in *dus*.

EXEMPLA: *Iniurias ferendo* maiorem laudem quam *ulciscendo* merebere (CIC.) — Posterum diem *sepeliendo* utrimque caesos consumpserunt (TIT. LIV.) — Nerva optime reipublicae consuluit, *Traianum ad-*

¹ Cfr. fasc. sup.

ptando (EUTR.) — Est secundum naturam pro omnibus gentibus iuvandis maximos labores suscipere (CIC.) — *Nihil agendo* homines male agere discunt (COLUM., 2, 1) — Omne desiderium *litteris mittendis accipendiisque* leniam (CIC., Fam., V, 21) — *Praelia de occupando ponte crebra* sunt (TIT. LIV., VII, 9) — Homines ad Deum nulla re proprius accedunt quam *salutem hominibus dando* (CIC.) — *In Samo oppugnanda mille et ducenta talenta consumpta sunt* (CORN. NEP.) — *Valeudo sustentatur praetermittendis voluntatibus* (CIC.) — Boni viri in augenda re non avaritia praedam, sed instrumentum bonitati querere videntur (CIC.) — Dando et accipiendo *permutandisque facultatibus et commodis* nulla re egemus (CIC.) — Augustus de reddenda republica bis cogitavit, sed in retinenda perseveravit (SUET.) — *In emendando* quae corrigenda sunt, non acerbus est bonus magister (QUINT.) — Ne mors quidem est in repetenda libertate fugienda (CIC.) — Habent isti iners negotium qui in componendis, descendis, audiendis cantis operam ponunt (SEN.) — Exercenda est memoria ediscendis ad verbum et nostris scriptis et alienis (CIC.) — Cato nihil largiendo gloriam adeptus est — *In dicenda sententia* non parebo doli meo, non iracundiae serviam.


f) Post certa verba usurpatur gerundius absque praepositione, ad exprimendum finem intentum.

EXEMPLA: Nullam moram interponendam insequendi Antonium putavi (CIC.) — Lentulus attribuit nos trucidandos Cethego (CIC.) — *Transfugam* Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum (CIC.) — Caesar, in Hispaniam proficisciens, Antonio conculcandam Italiam tradidit (CAES.) — Antonius falsa decreta in aes incidenda et in Capitolio figenda curavit (CIC.) — *Laudem gloriamque* P. Africani tuendam conservandamque suscepit (CIC.) — Antigonus Eumenem mortuum propinquis se-

peliendum tradidit (CORN. NEP.) — Equorum quatuor *millia* domanda equitibus divisa sunt (TIT. LIV.) — Omnes milites Venusini per familias benigne accipiendos curandosque divisorunt (TIT. LIV.) — Tot praedia tam pulchra, tam fructuosa Sex. Roscius filio suo colenda ac tuenda tradidit (CIC.) — Tuum filium dedisti adoptandum mihi; meus factus est (TER.) — Natura mulieri domestica negotia curanda tradidit (COLUM.) — Pueris sententias ediscendas damus (SEN.) — Conon murros, a Lysandro dirutos, reficiendos curavit (CORN. NEP.) — Cyrus infans datur occidendus Harpago (IUST.) — Aedem Castoris Iunius habuit tuendam (CIC.) — Astyages, rex Persarum, liberos Harpago epulandos apposuit (SEN.) — Simulacrum Cereris unum Catina convellendum auferrendumque curavit Verres, alterum autem Henna sustulit (CIC.) — Natura distribuit viro calores et frigora perpetienda, itinera et navigationes, labores pacis ac belli (CIC.) — Demus nos philosophiae excollendos — Scriba quidam Flavius ediscendos fastos populo proposuit — Edo haec iis cognoscenda, qui eos ipsos de quibus loquor saepe audierunt — Curavimus ut Athenienses in eodem loco monumentum ei marmoreum faciendum locarent — Qui se committit homini tutandum improbo, auxilia dum requirit, exitium invenit — Electa Eridanus amnis excipit, et nuribus mittit gestanda latinis.

g) Gerundia frequenter passionem significant.

EXEMPLA: Rubens ferrum non est habile tudendo (PLIN., XXXIV 43) — Omnibus haec ad visendum patebant quotidie (CIC., Verr., II, 4, 3) — *Ante domandum*, equi ingentes tollunt animos (VERG., Georg., III, 206) — Alitur vitium vivique tegendo (VERG., Georg., III, 454) — Carpit enim vires aurum paulatim uritque videndo (VERG., Georg., III, 214) — Salsa autem tellus et quae perhibetur



amara, frugibus infelix nunquam mansuetus sit arando (VERG., *Georg.*, II, 239) — Pinguis item quae sit tellus hoc denique pacto discimus: haud unquam manibus iactata fatiscit, sed picis in morem ad dgitos lentescit habendo (VERG., *Georg.*, II, 250) — Erant equi impotentes regendi (TIT. LIV., XXXV, 11).

h) Gerundium in *dum*, accidente verbo *sum*, eleganter mutatur in participium in *dus*, si adsit regimen directum.

EXEMPLA: Non *falx mittenda* in messem est alienam tibi (PUB. SYR.) — Putamus non per omnia *poëtas esse* oratori *sequendos* (QUINT.) — *Memoria praecognitione confirmanda est*, ut sit egregia (CIC.) — Haec *habénda est gratia* D. Bruto (CIC.) — *Sapientia ars vivendi putanda est* (CIC.) — *Pecuniae est fugienda cupiditas* (CIC.) — Nemo est casu bonus: *discenda virtus est* (SEN.) — Maxime autem haec *aetas a libidinibus arcessenda est exercendaque* in labore patientiaque animi et corporis, ut eorum in bellicis et in cibilibus officiis vigeat industria (CIC.) — *Per multa nobis et facienda et non facienda et mutanda et corrigenda sunt* (CIC.) — *Mors est optanda*, si hominem aliquo deducit, ubi sit futurus aeternus (CIC.) — *Confirmandus erat exercitus nobis*, magnis saepe praemiis sollicitatus, *confirmandae complures civitates; allicienda etiam voluntates reliquorum qui finitimiis provinciis praefuerunt, muniendi vero nosmet ipsi fuiimus*, aucto exercitu auxiliisque multiplicatis (CIC., *Fam.*, X, 8) — Aeternas *poenas in morte timendum est* (LUCR., I, 112) — Si Galli bellum facere conabuntur, *excitandus nobis erit ab inferis Marius* (CIC., *Font.*, 12) — *Vitae ratio reddenda nobis est* — Non est ab homine nunquam sobrio postulanda prudentia (CIC.).

S. Leonardi in Helvetia.

(Ad proximum numerum).

I. Jss.

ARCENDAE EBRIETATIS RITUS APUD MAIORES

Fatendum est, maiorum exempla haud ea ferme esse, quae potissima ad vini temperantiam suadendam valeant; contra immo a cibi potusque ingluvie non facile eos abstinuisse, et modos usque tentasse omnes quo, absque valetudinis detrimento, maxima haurirent. Haec, ne dissitis nimis exemplis utar, ex ipsis Horatii carminibus facile eruitur, qui et hieme rigida, et fervida aestate, vel miti vere, vel vinifero autumno nonnisi ad bibendum semper nos invitat, ita ut, etsi non omnia, pleraque tamen eius carmina Libero sacra videantur: quorum profecto epistola V libri I ad Torquatum sublime monumentum est.

Hoc itaque ritu utentibus, et intemperantibus cibi potusve facile detimenta quam gravissima expertis, omnis medicorum nius in id contendit, non ut parcam mensam et frugalem parandam suaderent, sed ut ebrietatis infestos exitus vel praecavarent, vel saltem lenirent.

Itaque epulaturis multa praesumenda proponebantur, ut quam plurimos vini cados impune potarent, et primum aqua vel siliquastri aut piperis aromatibus vel caseo merum temperabant. Adhibebantur ad rem pariter mel vel oxymelle, quod (iuxta Plin. XXIII, 2, 29) hoc modo praeparabant: « Mellis minas decem, aceti veteris heminas quinque, salis marini pondere libram et quadrantem, aquae marinae sextarios quinque pariter coquebant, decies defervescente cortina; atque ita diffundebant inveterabantque ». At condiebant etiam vina, et resinam vel similia immiscebant, iuxta Vegetii in veterinaria praecepsum (2, 48): « Calcem vivam vino subigit ad crassitudinem oxymellis ».

Florum etiam coronis, myrti praecipue ac rosarum, ad mitigandam vel arcendam ebrietatem multam esse vim existimabant,

ita ut et sibi circa caput, colla lumbosque, et crateribus cyathisque cingere eas assuerint.

Admiscebant vino saepe et ipso in mero corollas infundebant, quo lenius cerebro esset atque odoratius, vocabantque tunc illud « rosatum », cuius praeparandi ritum satis explicat Lampridius in *Elagabal.*, 19: « Quinque libras rosae pridie purgatae in vini veteris decem sextarios mergebant, et post triginta dies decem despumati mellis libras adiiciebant. Elagabalus immo pineas attritas admiscere solitus est ».

Nec satis: in remedii enim, quae ad arcendam ebrietatem praesumebantur, praecipuum locum gemma tenebat amethystus, quam profecto, etsi veluti amuleto ad rem pollere suspicaremur, superstitionis notam vitare non liceret. Hanc igitur vel collo suspendebant vel adiiciebant vestibus, vel in pulverem redactam, vel etiam integro lapide hauriebant, vestibusque eius colore fucatis in conviviis hac de causa utebantur.

Quam abditam gemmae virtutem ipsum nomen satis pandit, a graeca voce μεθύω et α privativa, quasi « non inebrians », usurpatum, quia usque ad vini colorem non accedit; « priusquam enim [quis] degustet in violam desinit fulgor ». ¹ Erat immo par ratione ἀμέθυστον genus quoddam vini appellatum, de quo haec Columella habet: ² « Inerticola tamen nigra, quam quidam Graeci amethyston appellant, potest in secunda quasi tribu esse, quod et boni vini est, et innoxia: unde etiam nomen traxit, quod iners habeatur in tentandis nervis, quamvis gustu non sit hebes ».

Porro lactucas, brassicas, rutam, ceterosque amaros sapores, qui ex amygdalis, ex persicorum nucleis, ex crocis, ex lupulis exprimuntur, ante libationes pariter sumebant; ex ruta vero vinum condiebatur, quod « rutatum » Plinius dicit. ³

¹ PLIN., XXXVII, 9, 50.

² III, 2 a med.

³ Cf. PLIN., IV, 16, 19.

Verum herbis his omnibus, quae diuretica via temulentiam expellere reapse valabant, inutilia saepe remedia aequabant metalla vel gemmae, quae inter aurum et amethyston, quod supra vidimus, potissimum locum tenebant.

Sed et pumicem etiam haud raro in pulvarem redactum deglutiebant, ut libatum deinde vinum prompte hauriret, et quem utilime ad vini vapores temperandos aquam inter cyathos bibendam suadebant, contra de clitorio quodam lacu in Arcadia fababantur, cuius undae, vix potae, abstemios faciebant.

Haec vero ut ebrietatem caverent maiores: at, postquam ea laborare coepissent, varia admovebant, variisque, ut ab ea convalerent, utebantur; ante omnia vomitionem ciebant, acetum aquae tepidae mixtum sumentes, vel perfusas aqua vittas capiti cingebant, vel in frigido balneo sese statim mergebant, quod et in Persii carminibus memoratur:

Haec sancta ut poscas, Tiberino in gurgite mer-
[gis]
Mane caput bis, terque et noctis flumine pur-
[gas].

Brassicarum pariter, vel hederae folias capiti imponebant, vel unguentis fricabant, vel aptis suffimenti expiabant, parabantque decocta ex lactucis, hordeo vel frumento, aut vix tepida sugebant.

Quid tamen? Haud perraro accidebat, ut praecepsum ex Graecis usurpantes, οἴνῳ τὸν οἶνον ἔξελαύνειν, vinum vino pellebant.

Utrum vero res prospere succederet in incerto est, praeterquam quod dicere velis, provocato tandem tantis libationibus somno, obrutos veluti gravi morte cadere, sequentique mane, praeteritae ebrietatis nullis vestigiis, renovata valetudine, surgere.

A. L.

DE FONTIBUS IURIS ITALICI LINEAMENTA HISTORICA¹

Restat demum ut de aetatis novissimae scientia iuris aliquid dicamus.

Exeunte iam saeculo XVIII, ac dein, magis post editos Napoleonis codices, plerique, in Gallia cumprimis, paene fontium obliti, ad novissima interpretanda iura totos se dedere, nova forma, nova denique vulgari lingua. Sed etiam in Hollandia declinare iam cooperant, ut vidimus, iuris civilis studia; in Italia autem, quum dum vigeret ius commune, huic non mediocris dudum opera datur; sed Itali quoque, maximam partem derelicta latina, vulgarem linguam usurpant.

Inter quos nota digni, quamquam non omnes plane immunes a praeiudiciis illius temporis, obveniunt Dominicus Romagnosi (MDCCCLXI - MDCCCXXXV), qui docuit Parmae, Ticini, Mediolani ius civile, dialecticis magis quam historicis accensendus; Del Rosso (MDCCCLXXX - MDCCCLVIII), qui ratione ac via historiae adhaerens, egregium iuvenis edidit opus *De Pandectis (Discorsi sulle Pandette)*; postea opus maximum italicico titulo: *Saggio di diritto romano attuale*; Forti (MDCCCVI - MDCCCXXXVIII) civilis iuris doctissimus, ut ostendunt priora duo volumina operis de institutionibus (*Istitutioni di diritto civile*), quod, immatura morte praeventus, consummare nequivit; Poggi (MDCCCI - MDCCCXXXVII), cuius absolutissimum est opus: *Saggi di un trattato teorico pratico sul sistema livellare*.

Non defuere tamen qui concinne, erudite, eleganter de iure civili latine tum scriberent, ut Carolus Latini, in Seminario reatino utriusque iuris magister, qui eximia edidit *Elementa iuris civilis, canonici et criminalis*. Obiit anno MDCCXL.

¹ Cfr. fasc. sup.

At omnium forte maximus exstitit Hilarius Alibrandi (MDCCXXIII - MDCCCLXXXIV), qui Romae ius professus est meritoque scientiae interpolationum quasi praecursor et conditor habetur, quemadmodum plura eius opera iuridica et historica ostendunt, atque alumnos habuit sibi carissimos Dominicum Svampa (+ MCMVII) et Philippum Iustini (+ MCMXXI), postea S. R. E Purpuratos Patres, iuris civilis in Pontificii Seminarii Romani athenaeo doctores.

In Italia iuris periti, prima saeculi XIX parte, fere toti sunt in novis codicibus apparandis; in altera vero novis codicibus interpretandis incumbunt; nihil igitur mirum si remissa nonnihil videntur studia illa historiae et iuris quae multo antea heic, ut alias vidimus, habuere conditores et cultores eximios Sigonium, Pancirolium, Graviram, Vicum, Muratorium, De Astis, Paganum, atque quos hodie supra enucleavimus Del Rosso et Alibrandium; et, etiam post unitatem restitutam et post editos codices, Philippum Serafini, Contardum Ferrini, Padelletti, Perozzi, D'Angelo, Bonfante, Scialoia; hisque nostris diebus Carusi, Riccobono, Albertario, Larraona.

Uberior autem et frequentior fuit campus iuris civilis novissimi, quem ante codices editos sollertes excoluerunt Carabelli, Giovannardi, Cannetti, Poggi, Borsari, Iannelli, Giovannetti; postea vero Filomusi Guelfi, Bianchi Franciscus, Chironi, Simoncelli, Giorgi, Pacifici Mazzoni.

At in Germania, ubi nullus generalis editus erat codex et ius vigebat commune, distracti non fuerunt iuris periti a iure romano; immo vero excultiorem in dies operam eidem dederunt post Everardum Otto (MDCLXXXV - MDCCCLV), Ioannem Augustum Hellfeld (MDCCXVII - MDCCCLXXXII), huius discipulus Christophorus F. Glück (MDCCCLV - MDCCCXXXI), foecundissimus, atque ita dialecticae adhaerens, ut et historiae sati studeret; Gustavus Hugo (MDCCCLXIV - MDCCCXXXIV), qui progressus e principiis

iam in Italia exploratis a Vico, Muratori aliisque, in Gallia vero a Montesquieu, in Anglia autem a Gibbon, quos sequi ipse fatetur, eo devenit ut historiam effingeret iuris fundamentum, et effectricem, et magistrum; ita scholae historicae fundamenta iecit, quae maxime saeculo XIX viguit flouruitque in Germania. Cuius rei occasio ab adversariis, ut fieri solet, data est. Quum enim schola iuris naturalis, et maxime Thibauti (MDCCCLXXIV - MDCCCL), acerrime adversaretur iuri romano et communi, contendens novum plane ius esse condendum, proindeque novos codices edendos, eidem obstitere acerrime Hugonis discipuli, inter quos eminuit Fridericus Carolus Savigny (MDCCCLXXIX - MDCCCLXI), qui merito habetur scholae historicae veluti alter conditor et facile princeps. De principio, de methodo, de laudibus deque vitiis scholae sati suo loco diximus. Inter eius discipulos memorandi sunt Rudorff (MDCCCLXXX - MDCCCLXXIII), Blume (MDCCXCVII - MDCCCLXXIV) et Arndts (MDCCCI - MDCCCLXXVIII); qui tamen moderate procedit, a ceterorum defectibus excessibusque aequo alienus, ut etiam Jehring (MDCCCVIII - MDCCCXII) et Windscheid (MDCCCVII - MDCCCXII), cuius vicissim alumni fuérunt nostri Ferrinius et Riccobonus.

Sed editis in Germania quoque codicibus novissimis ineunte saec. XX, ibidem iuris romani studia relaxari nonnihil videntur, quum plerique sollertia dent operam iuribus vigentibus. Duplex itaque exstat hodie fere ubique iuris peritorum agmen, « Romanistarum » scilicet, qui neglecto vigente iure, uni romano eodemque puro (« archaico » dixerim) incumbunt, et « Civilistarum », qui, neglectis fontibus, totos se dedunt iuri vigenti: sedulo igitur ab utrisque cavendum, ne scholam procul secernant a vita, in qua miro quodam ordine synthetice una simul praeteritum atque praesens ad futurum ita agunt, ut pra-

sens non recte intelligatur sine suis quae praecesserint causis; hae autem minus plene percipientur et minus nostra intersint nisi ad nos referantur; ad ius, inquam, quo vivimus, ad ius quod nostra in civitate vigeat. Huc demum spectandum, huc contendendum.

FINIS

SYLVIUS ROMANI.

EX GERMANIA

Exercitationes aëris custodiae in territorio industrioso Silesiae superioris.

Quisquis vicesimo primo die Octobris 1937 vias trium urbium regionis nostrae percurrebat, libellos rutili coloris passim in columnis publicis et fenestrulis mercatoris defixos cernebat. Quid hoc rei erat? Vicarius praefecti aedilicij Glivicensis, cuius provincia totam Silesiae superioris regionem industriosam comprehendit, magnum aëris custodiae exercitium in diem vicesimum sextum eiusdem mensis edixerat simulque normas rerum gerendarum ab acia et acu incolis exposuerat. Praeterea promulgationibus actorum diurnorum et contionibus habitis omnes populares ad diem instantem bene praeparati sunt.

Dies huic spectaculo destinatus mire fuit autumnalis et sole perfusus. Homines per vias fluunt et ad negotia properant; mercatores in promptu sunt et emptoribus prestolantur. Dominae cum sinu mercatorio ad nundinas currunt; currus itineris electrici tinnitum edunt; currus automobiles huc illuc vehuntur. Magis magisque strepitus et swmphonias commeatus augescit. Tum vero, tricesimum erat momentum post octavam horam, ecce sirenes officinarum industriosarum sonare coepерunt et paulo post vehicula automobilia vexillum monitorium flavi caeruleique coloris praferentia per vias principes vecta sunt, quorum aurigae bu-

cina signa continua dabant, ut civium animos ad pericula ex aëre impendentia converterent. Quo auditio status rerum drepente mutatus est. Ubi modo magnus commeatus fluctuavit, paucis temporis momentis viae atque areae plane desertae et hominibus vacuae sunt. Nam nutu tantummodo custodum publicorum pleno gradu dispalantium opus est, ut omnes, qui in viis sunt, quam celerrime ad receptacula publica confugiant, quae tabulis significata in deversoriis, scholis, aliisque aedificiis aptis fuerunt instituta. Mercatores portas claudunt et fenestras tegimentis inducunt. Vehicula automobilia ad limina viarum advecta sine dominis stabulant; raedarii iuxta equos deiunctos stant. Currus itineris electrici iacent immobiles ab aurigis et sessoribus deserti. Hic illic birotae raptim positae ad parietes vel crepidines applicatae sunt. Venditrices nundinarum ad tabernas suas sedent. Qui cumque domi est, habitationibus se tenet vel, si cellae tutelares sunt, eo descendit. Nemo ex fenestris portisque spectare debet; luminaria concluduntur, transennae volubiles demittuntur. Medicis tamen et obstetricibus aegrotis opem laturis vias ingredi licet. Ad summam, omnis strepitus obmutescit; urbes quasi somno sedant; vita urbana, ut ita dicam, spiritum ducere videtur. Sic per duas horas universus commeatus interruptus est.

Dum haec geruntur, machinae volvures super urbibus industriosi territorii se ostenderunt, ut experimenta quam optime ad veritatem accommodata incolis darentur. Urbs Bytomia ab omni volatrico impetu intacta et integra permansit. Hindenburgium autem, urbs metallicorum, quam diligo et caram habeo, dupli volatorum impetu iustum est. Tela incendiaria, glandes dispossibilis, materia venenata excussa sunt, quae ducentis fere locis urbis non parvae noxae erant. Sed vigiles publici aliquae adiutores arcessiti incendia extinxerunt et

cetera damna resarserunt. Neque omissimus extraordinarium temptationum post meridiem in officina metallica Donnersmarciana et in fodina Concordiae peractum. Signo periculi per sirenes dato opifices, qui administri non adhibebantur, in cellas tutorias se contulerunt; ceterorum omnium autem erat detrimenta et impedimenta a volatoribus allata tollere, ut labores interrupti quam celerrime recipi possent.

At urbs Glivicia maximus exercitorius campus fuit electa; quare amplificatores vocales ad omnes viarum angulos dispositi erant, quibus cives de disciplina et aequitate servanda praemonebantur. Primo volatores hostium magnum pantopolium media in urbe situm aggressi sunt; nequicquam defensores ex tecto et finitimis domibus impetum manuballisticis machinariis comprimere et hostes repellere conati sunt. Mox fastigium pantopolii flagravit et quia aedificium ipsum collabi videbatur, officiales atque emptores fuga salutem petentes ad proximum receptaculum perfugerunt. Interim aliis locis urbis tela ingesta sunt, quibus non minus quam centum undetriginta damna varii generis afferebantur. Mox igitur nuntii personis gasoriis induti eo contenderunt, unde auxilium rogori poterat. Necdum administri opem tulierant, cum novus atque gravior impetus in totum vicum urbanum factus est. Densae nubes fumosae per urbem diffusae sunt, cum complura aedificia inflammata essent, in quibus erat schola superior puerularum viginti pyrobolisicta. Sic angor quidam timidos animos invasit, cum puellas aut vulneratas aut necatas esse putarent. Sed rumorem vanum esse mox edocti sunt. Quanta autem vehementia hic impetus volaticus factus sit, ex eo cognosci potest, quod trecenta duodeviginti detrimenta nuntiabantur. Itaque magna manus adiutorum ad operam evocanda erat. Vigiles crebra incendorum damna restinguere molieban-

tur. Cohors purgatoria apparebat, ut pericula ex ductu gasorio alicubi afflito instantia repelleret. Hic saucii atque etiam mortui feretris auferendi, illic impedimenta viaria de medio tollenda erant. Ubi ignivoma granata demissa iacebat, tabula nigra litteris albis ita inscripta collocabatur: «Cavete, telum irritum, periculum vitae!». Sic omnia speciem et opinionem belli praebuerunt. Quibus feliciter confectis dehortatio paulo ante horam undecimam in omnibus urbibus ab aedilitate pronuntiata est; res paulatim in pristinum statum redierunt.

Postmeridiano tempore deinde secutum est obscurationis experimentum. Iam brevi post decimam septimam horam crepusculum caelo delapsum erat, neque multo post regio, quae dicitur nigra, Silesiae superioris opaca nocte offusa est. Circumscriptiones urbium in opinione vix sunt. Ubi alias arcus luminosi se expandunt, umbrae atrae et imperspicuae nunc exstant. Lucida paeonia evanuerunt.

Illuminatio publica viarum iam non est, praeterquam quod lychnuchi laminibus ex vitro caeruleo circumclusi, quorum flamma petroleo alitur, ad omnia quadrivia stant lividam lucem spargentes.

Proiectores lucis obtecti sunt nigris cucullis, unde per angustam rimam parcus dumtaxat fulgor in spatium itineris cadit. Currus itineris electrici fenestrarum velatis et lucernis interioribus obumbratis promoventur. Spectris similes birotatores praeterlabuntur magna voce interdum moniti, si lanterna integumento caret. Obscuratio quoque tabernarum magnarum, deversiorum, cinematum, theatrorum, thermopoliorum exemplum edidit paeclarum. Saepius retinacula lucis in ostia instructa erant, ut nihil radii in vacuum evaderet. Ferriviae statio obumbrata Bytomiae urbis praecipuum admirationem habuit. Etiam omnis generis officinae tam egregie obcaecatae erant, ut ex longo spatio conspici non possent. Si-

milem speciem domus privatae pae se gesserunt. Haud secus quam par erat gravitas rei concii incolae imperata aedilitatis exsequi studuerunt. Testes sunt laminae vitreae fenestrarum multa nigra charta agglutinatae. Raro fit, ut haec ratio obcaecandi parum diligenter adhibita sit; si quid candoris foras exit, monitiones officii non desunt.

Nihilo setius vita hominum, ut par erat, etiam post fenestras obvolutas usquequam cursum usitatum tenuit. In fodinis et officinis opera metallica continuabantur; in cinematibus pelliculae monstrabantur; in theatris ludi scaenici dabantur; in thermopolii animi audientium arte musica delectabantur; in diversoriis potatores ad pocula sedentes tempus degebant; etiam familiae intra limen se continentes occupationibus cotidianis se dabant non numquam parca luce contentae.

In hac tam densa caligine tamen celebritas viarum valentior fuit quam aliis diebus esse solet. Nam contra voluntatem aedilitatis permulti curiositate impulsi in tenebris ambulare cupiverunt. Alba linea menta, quibus crepidines, ubi viae conveniunt, oblita erant, paulum ad claritatem valebant. Si quis sub vesperum ex aliqua mansione intrinsecus collustrata foras exierat, primo manus ante oculos vix videbat et paulisper immobilis adstabat, dum tenebris assueverat. Sed mox, ut ipse sum expertus, ex sua quisque consuetudine spissius vel celerius incedere potuit, praesertim cum caelum stellis distinctum luminibus facticiis sublati clarius solito coluceret. Insuper omnia vehicula cum velocitate cochlearum per vias promota sunt, et aediles attente speculantes pedibus euntes, birotatores, aurigas monuerunt. Sic illo die memoratu digno nulla est calamitas facta.

Incommoditates quasdam cum his exercitiis aëris custodiae connexas fuisse perspicuum est. Tamen omnes cives obsequio

et disciplina multum ad prosperum even-
tum contulisse infitias iri non potest.

Non immerito igitur postero die omnibus
civibus pro hac agendi ratione gratiae de-
bitae sunt actae.

Hindeburgii.

HANS LIS,
Studiorum consiliarius.

ANNALES

Virorum rerum civilium peritorum con- ventus

Die x sup. mens. Ianuarii Budapestini convenerunt Italicus exterarum rerum Administer et Austriacae reipublicae Cancellarius ut cum Hungariae administris prae-
cipuas Europae quaestiones examini una sibi subiicerent simulque strictioris sociae operae de regione Danubiana bases pone-
rent: denique aequabilis compensationis rationes in centrali Europa firmarent. Iisdem diebus Bellogradi coetus italo-iugoslavus congregabatur, ut commercii et publicae pecuniae pactiones concinerent, quae in-
sequenti die XVII utrinque subscriptae sunt.

Regales auspicati eventus

Die xx Cairo, in Aegypti urbe capite, sollemni pompa omniq[ue] populo ovante et gratulante nuptiae Faruk regis cum nobili civitatis puella celebratae sunt.

Die xxxi in castro Soestdiyk ad Traiectum Batavorum, Iuliana, Batavorum princeps femina, filiolam partu feliciter edidit, quae, ni fratres sequuturi sint, heres regni erit.

Bella et seditiones

Inter hos pacificos eventus sanguis Europae Asiaeque terras cruentat adhuc. In Hispania varia fortuna ad Teruel urbem pugnatur: capiuntur et avelluntur vicis-

sim civitatis vici. Nationalistae vero aliis in regionibus superiores omnino evadunt, iamque in eo sunt, ut Franco, supremo duci, licuerit administratorum collegium componere, quod non modo publicis civitatis negotiis provideat, sed novam pro Hispania constitutionem comparet.

In Palaestina Arabum seditio minime remittitur: imo quotidie insidia in Anglos et Hebraeos nunciantur.

In Sinis denique ad Lunhai et iuxta Pukon ferriviam Iaponii intolerabili vi se inferunt. Dicitant immo eos magnas copias Formosae in insula congerere, quibus Sinarum inferiorem regionem aggressuri sint.

POPULICOLA.

VARIA

Utrum libertatis custodia optimatibus an populo tutius committatur¹

Qui vero Spartanorum et Venetorum institutum laudant, eos asserunt, qui custodiā libertatis nobilioribus demandant, duabus de causis rectius agere. Nam et illorum dominandi cupiditati aliqua ratione satisfaciunt, ut quum intelligent se in Reipublicae administratione plebem hanc ratione superare, tali praerogativa acquiescant. Et plebis inconstantiae eam admittunt potentiam, qua multas Reipublicae perturbationes excitare potest, cum alias, tum etiam tales, quibus optimates ad magnum aliquod facinus tandem impellere posset. Quarum rerum exempla abunde nobis Roma suppeditavit, in qua urbe quum Tribuni plebis ad eam potentiam evecti fuissent, non satis esse duxerunt, si unus Consul plebeius esset, sed ambos voluerunt; atque hinc paullatim ad

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.* — Cfr. fasc. sup.

Censuram, Praeturam et alios dignitatis gradus aspirarunt; tandemque eo demen-
tiae pervenerunt, ut si quos patriciis in-
fensos esse, aut aptos ad illos infestan-
dos, cognoscerent, eos ad caelum usque
eveherent; quae res et Marii potentiam pe-
perit, et Reipublicae ruinam. Haec quum
ita se habeant, dubium profecto videri po-
test ei qui rem in utramque partem dili-
genter expenderit, utri potius libertatis cu-
stodie sint praeficiendi? Praesertim si
nondum constet, an qui res suas ac partam
iam antea dignitatem conservare, aut qui
ad ea, quae nondum habent, consequenda,
aspirant, magis Reipublicae noxii sint?
Mihi sane consideranti rem omnem, ita
pronuntiandum videtur: ut in hac libertatis
custodia diversa ratio sit iis observanda,
qui imperium comparare, quam iis qui
praesenti rerum statu contenti ad maiores
opes et dignitates non aspirant. Nam
priorē illi Romanos debent imitari; poste-
riores hi Venetorum et Spartanorum con-
silium hac in re sequi debent. Ad eam
autem quaestionem, qua disputatur num
ii perniciosi sint tranquillitatē Reipublicae
magis qui acquirere quipiam desiderant,
an vero qui res partas cupiunt conservare,
conferet nobis M. Menenii exemplum. Qui
ex plebeis ipse Dictator creatus cum Marco
Follio Magistro Equitum, itidem plebeio,
ad investigandam coniurationem, quae
Capuae adversus Rempublicam facta fue-
rat, missus, simulque mandatum a plebe
acepit, ut in eos animadverteret, qui Ro-
mae largitionibus et ambitione ad Consu-
latum ceterosque honorum gradus aspira-
rent, in Patriciorum invidiam incidit. Nam
quum ii existimarent hoc mandatum im-
periumque Dictatori adversus sese tradi-
tum a plebe fuisse, conqueri cooperunt
non nobiles eos esse, qui per ambitionem
ad honores aspirarent; sed plebeios, quos,
quod neque maiorum splendori, nec pro-
priae virtuti confidere possent, oportet
largitione et malis artibus eo eniti. Atque

has calumnias quum in Dictatorem prae-
cipue coniicerent, tantum utique effe-
runt, ut Dictator, concione advocata, con-
quereretur de calumniis patriciorum, de-
positaque dictatura, se populi iudicio sub-
mitteret. In cuius causae tractatione, eius-
dem huius quaestione mentio facta est;
ipse tamen fuit absolutus. Quum autem
et eius qui parere, et qui parta tueri cu-
pit, desiderium permagnos motus in Repu-
blica excitare queat, maior tamen est vis
eorum qui iam possident; nam amittendi
metus eosdem impetus in iis excitat, atque
in aliis acquirendi studium. Nec videtur
cuiquam, quod satis tuto res suas possi-
deat, nisi easdem simul augere queat. Qui-
bus accedit quod propter potentiam maiore-
rem vim habent Rempublicam turbando,
et largitionibus suis in tenuioribus excitant
varias cupiditates, variosque animi motus.

Nauta et Viator

Si quis timet alteri nec consulti sibi
Inepte facit et cunctis est derisui.

*Viator forte nautae occurrit callido,
Quem de inceptis cum vellet iam deflectere
Obiecit saeva illi maris pericula,
Rogare deinde coepit ubi obisset pater.
Cui nauta: «In undis». Eadem quaerenti de*

*Proavoque, ibidem itemque decessisse ait.
Tum comes: «Hanc mortis quidni sedem de-
serit?»*

*Nauta invicem tunc qua oppetissent morte avi
Viatorem scitari: «Belle in lectulo
Omnes composui». «Ecquid refert utrubi co-
mes?»*

*Ibidem omnes; non est cur stratum deserat?
Cuique est moriendum, temporis ergo, non
loci?»*

M. GINOTTA.

Locosa

TUCCIO operibus vacuo Amicus:
— Visne quindecim libellas lucrari ali-
quid agens?

TUCCIUS: — Annon lucrari possim
agens nihil?

TUCCIAS cum quibusdam amicis in cappa libationibus nimis indulxit, ac domum ebrius redit. Ei severe Pater:

— Non te pudet, nequissime, in domum reverti pedibus te sustinere non valens?

TUCCIAS: — Atqui veni ut lecto teneas.

Aenigmata

I

Nec genuinus equus, nec sum genuinus asellus;
ex utraque tamen mixtus origine sum.
Syllaba rite mihi praefigitor una, sed apta:
mea Roma patrem, me vocat illa deum.

II

Cives et patriam fortis duo lustra tuebar.
Principium muta! Me beat usque liber.

F. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Anus-Onus*; 2) *Dos-Ros-Cos*.

LIBRORUM RECENSIO

ALBERT GLEUMER, *Deutsch-kirchenlateinisches Wörterbuch. Anhang: Die Stammzeiten der unregelmässigen lateinischen Zeitwörter* (Ferd. Dummlers Verlag. Berlin und Bonn, 1937, pp. 275).

Non unum haec opella commodum legentibus affert, nam iis qui magis germanicam, minus vero latinam calleant linguam, voces suggerit rationesque dicendi in ecclesiastica latinitate usitatores, atque ita non raro germanicarum vocum rationumque dicendi derivationem innuit e linguae latinae usu; eos vero qui minus germanicam calleant linguam, multum ad eam uberioris adiuvat addiscendam. Utrumque magnam exinde lector hauriet animi delectationem, quem eo magis videat et veluti manutangat quam viva semper fuerit dudumque sit lingua latina, eaque ad omnes vitae usus maxime accommodata. En sub voce *Amt*, quae fundamentali significatione id exprimit, quod latini veteres dixerint fortasse *officina*, latius patet et latinitate ecclesiastica redditur *officium*, fere sicut italicice dicimus *officio*. Sed tum haec

s. r.

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPI POLYGLOTTIS VATICANIS

REGULUS

[23]

ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

ME. Ast aures consulis cunctis patent. — AP. Non ambigo,
Novi, quanta ille contumelia te adficerit.

ME. Atque ego plus scio: iam illum facti paenituit.

AP. Itaque se dehinc recipiet in otium?

ME. Utuncque res erit, peccatum agnovit suom.

AP. Ah consul, nobis est istic dies notabilis.

ME. Tristitiam adferet, quidquid fortuna volverit.

AP. Ne fortunae permittatur exordium rei,

Nam sunt adhuc viri, qui quom procella cooritur,

Firmis manibus corripiant gubernacula.

Tuos amicus atque Publius et mater illius

Furore iam animos exasperarunt civium,

Qui cunctis in viis sic vociferantes clamitant:

« Salvos sit Regulus, patriae pater, eum liberabimus ».

Quom forte ad te venirem, plebs cavillans maxuma

Voce rugivit: « Non licet illi discedere,

Manebit Regulus! » — Oportet illum cedere.

Per orcum, num licet senatum sic terrerier?

Te consulem rogo, si se res aliter habeat?

ME. Vides, ut detineat linguam meam admiratio.

Numne est ullum Romae pectus, virum quod illum maxumum

Non vehementer ardeat? — AP. Ego duabus consulem

Romanorum nunquam linguis audivi loquier.

Vides, ut detineat linguam meam admiratio.

ME. Edepol non est necesse rem confundere.

Quod una mecum decrevit senatus hodie,

Id a me omnino conservabitur. Verumtamen

Ob hoc officium civile suspirat humanitas.

AP. Oportet quemque esse civilem; istuc qui nevelit,

Eat in silvam et pascatur feris cum bestiis,

Pol iste civis, quisquis est, hominem ex homine exuit.

ME. Ita ius civile esset sumptuosissimum.

AP. Rogo te, num liceat senatum deprimi? Iste Publius

Patrese cogat cedere impune ac procaciter?

Ego nolo hoc pati. Russum rogo te consulem.

ME. Iam nunc consul Romanum civem interrogat:

Adeone sentiat humiliiter, ut cum Roma in periculo

Vorsatur, ducat rationem modo suam

Et susque deque habeat, iugumne Karthaginensium